

Band VIII., Nr. 2898, Seite 179-180

Herzog Ludwig von Teck beurkundet, dass sein Dienstmann Otto von Straßberg dem Kloster Kirchheim Güter vermacht hat.

Kirchheim, 1279. Juli 23.

Ludwicus dei gratia dux de Tekke omnibus presentium inspectoribus notitiam subscriptorum. Noverint universi tam posteri quam presentes, quod Otto filius quondam Eberhardi militis dicti de Straspurc noster ministerialis de salute anime sue cogitans et de ordinatione testamenti sui omnia bona sua apud Herdelingen et Sateler sita cum agris pratis vineis pascuis curtilibus ac nemore sito retro Snarrenberc ad quindecim iugera estimato ac universis eisdem bonis pertinentibus . . . priorisse et conventui sanctimonialium in Kirchain coram nobis nostra et Cûnradi fratris nostri accedente voluntate et consensu legavit et ordinavit in hunc modum, videlicet quod nisi forte idem Otto ad aliquem religionis ordinem se transtulerit aut ipsa bona temporibus vite sue legitima famis vel inopie necessitate cogente omni tamen fraude et dolo remotis vendiderit vel etiam sine liberis decesserit, bona eadem universa post eius obitum ad ipsas priorissam et sanctimoniales sine impedimento quolibet devolvantur ab eis deinceps proprietatis titulo possidenda, ita tamen quod eedem sanctimoniales viginti libras Hallensium post ipsius Ot(tonis) decessum infra annum sui obitus, scilicet decem libras de possessione dictorum bonorum et decem libras de proventibus ipsorum, cum iidem proventus proxime ad solutionem huiusmodi se extendere potuerint, in solutionem debitorum suorum vel alicuius satisfactionis aut in remedium anime sue quocumque illas deputaverit distribuant et persolvant, hac conditione adiecta, quod post mortem antedicti Ot(tonis) Adelhaidis mater sua et Adelhaidis soror ipsius Ot(tonis) in eodem monasterio domino sub regula in religionis habitu famulantes, si ei supervixerint, omnes proventus seu redditus bonorum prehabitorum temporibus vite sue percipere debeant in usus proprios et habere. Quarum si una decesserit, alter earum vivens pro tempore vite sue eosdem proventus integraliter percipiet et habebit ac eedem mater et soror dicti Ot(tonis) conventui sanctimonialium sepedictarum singulis annis in anniversario memorati Ot(tonis) unam libram Hallensium in refectionem de ipsis proventibus assignabunt. Similiter et ipse sanctimoniales post mortem ambarum A(delhaidis) videlicet et filie eius predictarum in anniversario ipsius Ot(tonis) unam libram, item in anniversario quondam Eber(hardi) militis patris Ot(tonis) prenotati decem solidos Hallensium annis singulis in consolationem refectionis ipsarum conventui debent in perpetuum

II

ministrare. In horum robur et evidentiam pleniorē ad petitionem eorundem presentes super hoc fecimus conscribi ac nostri et predicti conventus sigillorum munimine roborari. Huius rei testes sunt: Ludwicus et Hermannus filii nostri, Cūnradus de Schambach, Kizzinus de Bodelzhoven, Hainricus de Rische¹ senior, Bertoldus de Wielandistain dictus Swelher, Albertus dictus Monachus milites, Hartiniedus, frater Cūnradus dictus Gurreli de Ezzelingen provincialis, frater Herbrandus, frater Wernherus medicus de ordine Predicatorum, frater Hainricus conversus dictus hovemaister dictarum sororum et quam plures alii fide digni.

 Actum et datum apud Kirchain, anno domini MCCLXXVIII., in crastino beate Marie Magdalene.

—

Zwei Siegel: 1) WUB, Bd. VII, S. 69, 2) WUB, Bd. VII, S. 318 beschrieben.

¹Wahrscheinlich zu den Risch von Irrenberg gehörig (*Hainricus de* wohl verschrieben für *dictus*).

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 493 U 5

Regesten:

ADOLF DIEHL (BEARB.): Urkundenbuch der Stadt Esslingen, 2 Bde., Stuttgart 1899-1905 (Württembergische Geschichtsquellen 4 bzw. 7), Bd. 1, S. 44, Nr. 149. Ecker: Kloster St. Johannes-Baptista Nr. 15.

Weitere Angaben

Beschreibstoff:

Pergament

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Kirchheim

Ortsindex:

Bodelshofen Wohnplatz (463)
 Bodelshofen, Wendlingen am Neckar, ES
 Esslingen am Neckar Wohnplatz (331)
 Esslingen am Neckar, ES
 Herdelingen Wüstung (21595)
 Herdelingen, Kirchheim unter Teck, ES, W
 Irrenberg Wohnplatz (20678)
 Irrenberg, Ebersbach-Musbach, RV
 Kirchheim unter Teck Wohnplatz (373)
 Kirchheim unter Teck, ES
 Sateler Wüstung (34581)
 Sateler, abgeg. bei Albershausen GP
 Schanbach Wohnplatz (476)
 Schanbach, Aichwald, ES
 Straßberg Wohnplatz (16541)
 Straßberg, BL
 Teck Wohnplatz (437)
 Teck, Owen, ES
 Wielandstein (Burg) Wüstung (21632)
 Wielandstein (Burg), Lenningen, ES, W